B. N. C
FIRENZE
1 0 2 3
23

Digitized by Google

FLLL.
1665

1023.23

TROCHÆUS PROPEMPTICUS,

QUO

VIRUM NOBILISSIMUM, EXCELLENTISSIMUM, CONSULTISSIMUMQUE

DN. DANIELEM ERASMI,

REGIO-MONTANUM,

J.U.D. ET ANTECESSOREM IN ACADEMIA PATRIA EXTRAORDINARIUM,

QVUM

BELGICO, ANGLICO, GALLICOQUE ITINERIBUS FELICITER CONFECTIS PER ILLUSTRE HOC TILIETUM IN ALMAM BORUSSORUM TENDERET,

HONORIS, CANDORISQUE CONTESTANDI ERGO VIATICATUM IBAT

D. XIX. AUG. A. C. CIↃ IↃCLXXXV.

L. JOACHIMUS FELLERUS,

POES. PP. ET ACAD. BIBLIOTHECARIUS.

LIPSIÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI GUNTHERI,

M DC LXXXV.

DULCE COR DEARUM ABIBIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!

Dulce Cor Dearum ERASMI eſt. Hunc ſub auras editum,
Regius qua mons Boruſſæ ſurgit ora ad ſidera,
Mollibus fovére in ulnis Gratiæ atque Hyantides,
Dumque ſcitulo benigna lacteos infantulo
Mater indidit liqvores, miſcuere illæ ſuum
Nectar, Hyblæa palatos imbuens dulcedine,
Omnibusque hoc perpluerunt pignus elegantiis.
His rigatus cum tenellis major annis cœlici
Quidpiam ſpiraret, undis totus Hippocreniis
Atqve Permeſſo repletus, inqve montes Aonas
Ductus eſt, ad aſtra ut altis mentis alis tenderet,
Sicqve magnam æqvaret olim magni ERASMI gloriam.

DULCE COR DEARUM ABIBIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!

Perpolitus a Camenis atque ternis Gratiis
Ore pulchro & blandicella voce verticordiam
Divam ERASMI flexit ipſam, deperiret ut ſui
Tota amore, opesque cunctas huic Ocello panderet;
Fandi & hinc ſuaves lepores, hinc beata copia,
Melleumque flumen oris, ſive ſint vernacula
Proferenda verba lingua, ſive, qualia Urbs prius
Septicollis fudit absque barbara ſtribligine,
Sive qua ſub Liliato Franca Rege Natio
Spargit hac ætate plena ſeſamo ac papavere,
Cuncta vel torrentis inſtar profluunt ex gutture,
Patriæque flexicordem pollicentur Tullium.

DULCE COR DEARUM ABIBIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!

Nempe Eum non Suada tantum, non Camenæ ac Gratiæ
Proprium ſibi dicarunt; quin dicavit & Dea
Præferens enſem, atque juſtis cuncta librans lancibus,
Virgo qvondam erepta terris, jamque terris reddita;

Totque

1003. 23

Totque ERASMI inusitatis fascinata dotibus
Publica privique juris hinc reclusit omnia
Intima, aulasque abyssus, cumque PAULOS patrios,
Marcbicos & ULPIANOS audiisset impiger,
Seque totum aquasset illis, laurea incinxit Caput
Per sibi charum suprema, BRENNONUM QUE PRINCIPE
MAXIMO haut dissentiente jussit inter Regii
SCÆVOLAS PAULOSQVE montis sedem habere splendidam.
DULCE COR DEARUM ABIBIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!
Viderat Pronœa, Conso agnata, & ævi perspicax
Arbitra & vates futuri, tot deabus diligi
Hunc ERASMI, moxque & ipsa capta donis inclutis,
Dignus est Amor Dearum, dignus est, inquit, Comes
Qui meus politiores fiat Orbis per plagas,
Lynceoque Principium aulas lustret omnes lumine.
Nec mora. Illa tractum ERASMI vinculis magneticis
Belgii ducit per oras, transfretansqve in Angliam
Monstrat illi & hic, ut istic, imperî arcana omnia,
Galliaque ingressa regnum jam polo conterminum,
LUDOVICUM monstrat ipsum, monstrat artes aulicas,
Sacra, mores, praeter arces regias atque oppida.
DULCE COR DEARUM ABIBIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!
Junxerat sese Pronœa docta Curiositas,
Sveta perlustrare ubique fornices librarios,
Inqve iis manu exaratos atque raros Codices,
Consulumque per vetusta ac Cæsarum numismata,
Saxa, marmora, atque gemmas, visitare & insimul
Orbis eruditioris clara ubique lumina.
Ergo & hac duce ac magistra rara quaque permeat
Concomes Pronœæ ERASMI, GRÆVIOSQVE in Belgio,
In Britannia CLUVEROS, HACKIOS, & HUCKIOS,
Inque Gallia PETITOS atque THEVENOTIOS
Cum MENAGIIS salutat, dumque amorem provocat
Singulorum, doctior fert retro gressum a singulis.

DUL-

DULCE COR DEARUM ABIBIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!
Venit huc, Deabus iisdem lynceis stipantibus,
Gallia ex florente nuper, Prussici ad Pindi juga
Jam reversurus, suaque profuturus patriæ,
PRINCIPIQUE hinc inde partis eruditionibus;
Dumque Plissici Roseti rariores flosculos
Contuetur, jamque Thymbræ, jam Senatus urbici
Inspicit Gazam eruditam, fascinat CARPZOVIUM,
Curiæ decus, decusque Pindi Orbisque literarii,
Raptat & pectus Poetæ, qui colit CARPZOVIUM.
Dumque ERASMI hic saccharatis pascitur sermonibus,
Melleos loti sapores gustat, haut explebilis,
Ac diu his, sed voto inani, perfrui desiderat.
DULCE COR DEARUM ABIBIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!
Imo flate blandulæ auræ, perque callem spargite
Floreum imbrem, ut dulce corclum tot Dearum patrios
Reppetat felix penates. Præstolatur hunc Themis,
Plus honoris additura jam datis honoribus,
BRENNONIS nutu atque jussu, Principum fortissimi;
Præstolatur & Dione, amabilique amabilem
Corculo gestit puellam jungere arcto glutine.
Flate, flate blandulæ auræ! Fallor? an susurrulos
Audio jam lene flantes? Audio. Ergo Regium
Præstolantem se revisat montem ERASMI, flantibus
Aurulis, sed Vati & aura semper adspiret sua,
Fellis expertesque Musas nolit aspernarier.
DULCE COR DEARUM ABIVIT. BLANDULÆ FLATE AURULÆ!

ML